

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXVI - N. 2

---

2004

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2004

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Limina Apostolorum visitantes . . . . .	175
---	-----

## EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	179
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	181
SYNTESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO . . . . .	183

## EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio I) . . . . .	236
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio II) . . . . .	250
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio III) . . . . .	277
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IV) . . . . .	306
NOTITIAE . . . . .	334
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	336

COETUS STUDII  
« DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS »

Sessio II<sup>a</sup>

(diebus 5-10 iunii 1967 habita)

Diebus 5-10 iunii 1967, in aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas de bonis Ecclesiae temporalibus.

Conventui intererant illi.mi ac Rev.mi Hercules Crovella, Vincentius Fagiolo, Thomas Garcia Barberena, Laurentius McReavy, Ioannes Pazstor, Rev.mi Patres Ulricus Beste O.S.B., Daniel Faltin O.F.M.Conv., Alfonsus Stickler S.D.B.

Praeerat Rev.mus P. Raymundus Bidagor S.J., Secretarius Commissionis qui Relatoris etiam munere fungebatur; actuarii autem munere fungebatur Rev.dus Franciscus Voto, a Studiis Commissionis.

Quaestiones a Commissione propositae erant sequentes:

1. Quid sentiatur de conclusionibus Consultorum in primo conventu dierum 23-27 ianuarii 1967;
2. Utrum canones de praescriptione agentes in titulo « De bonis Ecclesiae acquirendis » in loco relinquendi sint an in alium titulum transferendi;
3. Quaenam sint recognoscenda, mutanda aut supprimenda in normis de causis piis (cann. 1513-1518) et in normis de piis fundationibus (cann. 1544-1551).


Singuli praesentes Consultores votum de propositis quaestionibus paraverunt.

Adunatio I<sup>a</sup>

die 5 iunii 1967 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dat Consultoribus et ordinem laborum revocat prout in litteris convocationis Consultoribus ipsis notificatum fuit.

Rev.mus Primus Consultor notat votum ab ipso exaratum examen praebere quaestionum generalium praeliminarium, quae, etsi in Sessionibus



praecedentibus tractatae sint, profundiori adhuc examini subiicienda sunt, siquidem ipsae executionem decretorum Concilii Vaticani Secundi involvant atque *ab ipsarum solutione recognitio pendeat canonum circa quaestiones particulares*, id est circa subiectum iuris bonorum ecclesiasticorum, circa tributa, circa administrationem bonorum et ita porro.

Rev.mus Relator referentiam ad Sessionem praecedentem facit in qua quaestiones illae praeliminares minime ignoratae fuerunt.

Visum est tamen Consultoribus quaestiones particulares tuto posse tractari in hoc Coetu, donec in alio coetu quaestio de officio ecclesiastico definiatur, cum aggredi non possit quaestio de reformando systemate beneficiali quin prius illa de officio ecclesiastico definiatur.

Omnes alii Consultores convenient non adesse talem directam connectionem inter quaestiones illas generales et quaestiones particulares. Coetus hic ergo potest quaestiones particulares examinare, optando tamen ut quaestiones illae generales cito definiantur quia consequentias fundamentales pariunt in totum sistema Codicis Iuris Canonici.

Ordo laboris, a Secretaria propositus, acceptatur ergo et quaestiones sequenti ordine examinabuntur:

1. de loco canonum de praescriptione agentium;
2. de conclusionibus primae Sessionis;
3. de piis causis et de piis fundationibus.

Circa aptiorem locum canonum de praescriptione, Rev.mus Relator notat quaestionem non esse novam in iure canonico. In iure enim canonico praescriptio etiam ad iura spiritualia attinet et forsitan frequentius in spiritualibus invocatur ad iura acquirenda. Quaestio ergo surgit utrum de praescriptione aptius agatur in parte generali Codicis necne; qua in casu, de re agere deberet Coetus «de normis generalibus». Si, autem, Consultores centent praevalere rationes assignantes competentiam huic Coetui, revisio illorum canonum in Sessione mensis novembbris facienda est.

Rev.mus secundus Consultor: Praescriptio est modus acquirendi bona, ergo illi canones possunt hic retineri; sed melius esset illos transferre ad partem generalem Codicis ubi institutum praescriptionis ita evolvi debet ut amplius non loquatur de praescriptione in singulis partibus.

Rev.mus tertius Consultor: Non videtur quomodo tot capita praescriptionis circa res tam diversas (bona temporalia, bona spiritualia, poenas ecclesiasticas, etc.) enucleari possint in unica quaestione generali de praescriptione.

Si placet agere de praescriptione in parte generali, illuc transferantur

materiae quae locum proprium non habent, ut puta can. 1509, n. 3; sed materiae quae locum proprium habent, ne transferantur.

Rev.mus quartus Consultor: In parte generali dentur normae generalissimae de praescriptione; in singulis partibus, quando occurrit, dentur normae praescriptionis circa materiam specificam de qua agitur.

Idem sentit Rev.mus quintus Consultor.

Rev.mus sextus Consultor: Idem sentit ac Rev.mus quartus Consultor. Circa methodum laboris autem censet, singulos Coetus pro sua provincia normas de praescriptione evolvere debere. Postea Coetus aliquis coordinabit totam materiam enucleando normas quae omnibus communes sunt et relinquendo normas particulares pro materiis particularibus.

Rev.mus septimus Consultor: Hic agi debet de praescriptione bonorum temporalium, quia *hic est locus proprius*. Forsitan convenit ut de praescriptione agatur etiam in parte generali, sed dubitat num ibi item *locus proprius* sit.

Rev.mus Relator, concludendo, notat opiniones praevalentes Consultorum inclinare ad condendas normas generales de praescriptione in parte generali et normas singulis materiis proprias in locis ubi de ipsis materiis agitur. Si ita procedendum erit, methodus a Rev.mo sexto Consultore proposita bene ducebit ad secernendas normas generales a normis singulis materiis propriis.

## Adunatio II<sup>a</sup>

die 6 iunii 1967 – mane habita

Incipit examen canonum qui in Sessionibus mensis ianuarii 1967 propositi sunt.

*Can. 1495*

«Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona iure nativo acquirere retinere et administrare valent ad fines Ecclesiae proprios prosequebendos».

Rev.mi octavus et quintus Consultores proponunt ut omittantur verba «et Apostolica Sedes».

Brevis discussio habetur in qua repetuntur sententiae in Sessione ianuarii mensis prolatae.

Omnes alii Consultores censem illa verba supprimi non posse.

Rev.mi octavus et sextus Consultores: dicatur «... bona *temporalia...*». Alii Consultores consentiunt.

Rev.mi primus et sextus Consultores censem verba «ad fines Ecclesiae proprios» non adaequate exprimere etiam fines proprios Apostolicae Sedis.

Nam, si duo ponuntur subiecta, Ecclesia Catholica nempe et Apostolica Sedes, amborum fines expresse memorandi sunt. Dicatur ergo «ad fines sibi proprios prosequendos» sicuti est in can. 1495 C.I.C.

Alii Consultores assensum praebent.

Rev.mi primus et sextus Consultores praeterea quaerunt cur suppressa sint verba «libere et independenter a civili potestate» canonis 1495 C.I.C. Vis enim apologetica illorum verborum etiam nostris temporibus manet et utilis est.

Revocatur discussio in Sessione mensis ianuarii circa eandem rem habita et, in fine, omnibus Consultoribus placet illa verba supprimere.

Nova redactio can. 1495 haec est:

«Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios prosequendos».

Rev.mus primus Consultor proponit ut novo canoni, ita redacto, adiungantur, tamquam §§ 2 et 3, quae habentur in can. 1499 C.I.C.

Sed Rev.mi Relator et septimus Consultor notant in can. 1499 sermonem esse de *modis* acquirendis, qui locum suum habere debent.

#### Can. 1496

«Subiectum iuris ad acquirenda, retinenda et administranda bona temporalia sunt Patriarchatus, Archiepiscopatus, Dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentiis auctoritatis concessione in iuridicam personam erectae sint».

Rev.mus quintus Consultor inutilem censem numerationem personarum moralium in hoc canone factam. Sufficit enim dicere subiectum iuris esse omnes personas morales de quibus in can. 100.

Rev.mus Relator respondit numerationem positam esse praecavenda dubia et discussiones circa personalitatem moralem dioecesis et paroeciae. Opportunum ergo visum est hic ponere quaenam sint subiecta iuris ad acquirenda, retinenda et administranda bona temporalia.

Rev.mus tertius Consultor: Si in alio Coetu definiatur personalitatem tribuendam esse *officio* parochi et *officio* Episcopi, quomodo res compонetur cum hoc can. 1496?

Rev.mus septimus Consultor negat incompatibilitatem quam videtur tenere Rev.mus tertius Consultor, quia paroecia et dioecesis qua tales, quales nempe in Codice describuntur, possunt habere personalitatem moralem, ipso iure, quin minime praejudicetur personalitati officii respectivi.

Ipse Rev.mus septimus Consultor, una cum Rev.mo Relatore, opportunum censem personalitatem tribuere paroeciis et dioecesibus.

Rev.mus tertius Consultor consentit circa opportunitatem, non autem circa modalitatem hanc personalitatem tribuendi. Si placet nempe personalitatem tribuere dioecesibus et paroeciis, fiet suo loco, in libro de personis.

Rev.mus sextus Consultor: et ipse consentit circa opportunitatem; locum proprium autem censem esse librum de personis. Dicit tamen se pati ut loquatur hic de iure possidendi illorum subiectorum quorum personalitas moralis *alibi* sancita sit, dummodo numeratio illorum subiectorum *hic* omittatur.

Rev.mus primus Consultor: non ponantur hic «Patriarchatus», quia videtur insinuari quod etiam in Ecclesia latina debeant esse Patriarchatus.

Rev.mus tertius Consultor includere vellet in numeratione subiectorum iuris etiam Conferentias Episcoporum et Synodus Episcoporum.

Alii Consultores censem rem praematuram esse et illam superiori instantiae demandant.

Praeterea ipse Rev.mus tertius Consultor nollet subiectis, in canone memoratis, ius *administrandi* tribuere, quia hoc praejudicat quid statuendum de administratione honorum (cf. Votum Rev.mi tertii Consultoris, pag. 1).

Sed alii Consultores dicunt in hoc canone affirmari tantum principium huius capacitatis «*administrandi*», quod minime vetat normas edicere circa modum administrationis; tamen, ad praecavenda dubia, potest dici in canone: «... *administrandi ad normam iuris*, sunt dioeceses...».

His animadversionibus factis, Rev.mus Relator ponit Consultoribus haec quaesita:

1. can. 1496 placet quoad substantiam?
2. salva quaestione de aptiore loco ubi canon collocandus, placet ut Coetus hic, data occasione, proponat nunc hunc canonem?
3. placet supprimere verba «Patriarchatus» et «Archiepiscopatus»?
4. placet addere verba: «... *administrandi ad normam iuris...*»?

Consultores ad omnia respondent placet.

Canon 1496 ergo ita proponitur:

«Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi, ad normam iuris, sunt dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erectae sint».

*Can. 1497*

« Ecclesiae ius est, a civili potestate independens, exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria ».

Rev.mi octavus, quintus et tertius Consultores proponunt ut omittantur verba « a civili potestate independens », quae spiritum polemicum sape-re videntur.

Rev.mus septimus Consultor loquitur de necessitate conservandi illa verba.

Rev.mi tertius et sextus Consultores tandem proponunt ut verba illa omit-tantur et initio canonis dicatur « Ecclesiae ius *nativum* quoque est etc. ».

Haec ultima propositio omnibus placet; canon ergo ita proponitur redigendum:

« Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a fidelibus quae ad fines si-bi proprios sint necessaria ».<sup>1</sup>

*Can. 1498*

« § 1. Bona temporalia eos in fines ab Ecclesia possidentur et admini-strantur ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinatio-nem eadem destinare licet.

§ 2. Fines ad quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possi-dere sunt cultus divinus ordinandus, honesta cleri sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus vel caritatis exercenda ».

Rev.mi quintus et sextus Consultores, in suis votis, novam formulam huius canonis proposuerunt, in qua tota materia sub una tantum para-grapho redacta est.

Examinatur formula a Rev.mo sexto Consultore proposita, quae, post brevem discussionem, leviter mutata est et ab omnibus Consultoribus ita proposita est:

« In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsis Ecclesiae ordinatione statuuntur; praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et ca-ritatis exercenda ».

<sup>1</sup> Circa locum aptiorem huius canonis cf. propositionem Rev.morum quarti et octavi Con-sultorum, pag. 265.

N.B.: Rev.mus tertius Consultor recensere vellet etiam finem «*ad iustitiam socialem exercendam*»; quae propositio aliis Consultoribus non placet.

### Adunatio III<sup>a</sup>

die 6 iunii 1967 – vespera habita

#### *Can. 1499*

«Bona temporalia cuiusvis generis, quae ad aliquam personam moralem in Ecclesia pertineant, sunt bona ecclesiastica».

Rev.mus sextus Consultor, in suo voto, formulam substitutivam proponit quae omnibus placet, mutato tamen verbo «aliasque» in «aliasve»:<sup>2</sup>

«Bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales pertinent, sunt bona ecclesiastica».

Aliqui Consultores quaerunt cur non detur hic notio sacrorum pretiosorumque bonorum.

Rev.mus Relator respondit illam demandatam esse ad titulum de verborum significacione. Notio autem *bonorum ecclesiasticorum posita est hic* quia eius amplitudo a voluntate legislatoris pendet.

#### *Can. 1500*

«Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit».

Nullam emendationem Consultores proponunt; proinde canon manet prout propositus est in Sessione mensis ianuarii.

#### *Can. 1501*

«§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1498 § 2 Ecclesia assequi possit. Episcopi de hac obligatione fideles monere debent et, opportuno modo, eam urgere current.

§ 2. Sciant fideles se teneri obligatione procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in

<sup>2</sup> Mutatio proposita est a Rev.mo tertio Consultore.

Ecclesia operam impendunt. Episcopi de hac quoque obligatione fideles monere tenentur».

Canon quoad substantiam placet. Proponuntur tamen aliquae emendationes.

*Quoad § 1*

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «certa» loco «*vera* obligatione», quia falsum opponitur vero, certum autem dubio.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur tantum «obligatione tenentur», sine «*vera*» et sine «*certa*».

Alii Consultores volunt «*vera* obligatione».

*Quoad § 2*

Ante omnia, aliqua discussio habetur de necessitate vel de opportunitate huius § 2:

Aliqui (Rev.mi quintus, tertius et sextus Consultores) notant «honestam sustentationem clericorum» memoratam esse in can. 1498 § 2 inter fines ad quos licet Ecclesiae bona possidere, proinde sufficere videtur mentio illius canonis in § 1 facta.

Rev.mus quintus Consultor inopportunum censet loqui de obligatione quae, suo iudicio, tantum divites tenet.

Alii (Rev.mi Relator, quartus et secundus Consultores) admittunt hanc 2<sup>am</sup> paragraphum sub aspectu formalii repetere finem iam in can. 1498 § 2 memoratum; sed hoc consulto factum est quia saepe saepius fideles in oblivionem veniunt huius rei, procurandi nempe honestam sustentationem clericorum. Quod autem haec obligatio teneat divites potius quam pauperes, dicendum est quod obligatio generalis tenet omnes pro mensura facultatis uniuscuiusque.

Tandem, omnes Consultores admittunt opportunitatem huius paragraphi. Ut melius autem appareat ratio specialis huius mentionis honestae clericorum sustentationis, quae formaliter quidem est aliqua repetitio, Rev.mus sextus Consultor proponit ut initio haec 2<sup>a</sup> paragraphus ita mutetur:

«*Specialiter* meminerint fideles se teneri obligatione pro posse procurandi necessaria...».

Alii Consultores consentiunt.

De officio autem Episcoporum monendi fideles circa obligationes in 1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> §§ sancitas, Consultores unanimiter censem redigendam esse 3<sup>am</sup> § his verbis:

«Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere curent».

Quoad tributa duo sequentes canones in Sessione mensis ianuarii propositi sunt:

*Can. 1502*

«Tributa quae ab Episcopis imponi possint haec praesertim sunt: pro seminario, pro aedibus sacris reficiendis aut noviter extruendis, pro cleri praevidentia et assistentia, pro scholis catholicis, pro necessitatibus dioecesium pauperiorum».

*Can. 1503*

«Normae quibus tributa moderari debent sive a singulis Episcopis, auditis consiliis presbyterorum et pastorali, pro sua cuiusque dioecesi, sive a Conferentiis episcopalibus, pro communi territorio, statuantur».

Rev.mus quintus Consultor dicit de necessitate ponendi limitationes iuri Episcoporum imponendi tributa ut abusus vitentur.

Rev.mus sextus Consultor notat quod tributa, per se, strictam obligationem important illa solvendi. Proinde *certa numeratio* tributorum in Codice esset pericolosa; si numeratio aliqua videatur facienda, illa tantum tributa numerentur quae praevideantur ab omnibus et ubique in Ecclesia solvi posse.

Redit ergo inter Consultores quaestio generalis, quae iam in Sessione ianuarii mensis agitata est, de potestate nempe tributa imponendi in Ecclesia et de numeratione tributorum in Codice facienda.

Rev.mus primus Consultor distinguit tributa ordinaria a tributis extraordinariis. In Concilio, dicit ipse, sermo potius de subsidiis est quam de tributis. Si tributa imponenda sunt, debet determinari *quibus* illa imponenda sint.

Rev.mus tertius Consultor opportunum censet statuere principium de potestate imponendi tributa in Ecclesia. Quoad numerationem tributorum impossibile esset seligere tributa quae *ubique et ab omnibus* in Ecclesia solvi possint. Seligi possunt tributa *communiora*, sicuti factum est in proposito can. 1502.

Rev.mus quartus Consultor dicit tributa sensu stricto imponi posse tantum personis ecclesiasticis physicis vel moralibus; laicis autem *subsidia* peti posse.

Rev.mus secundus Consultor dicit tributa tenere omnes, sive laicos sive personas ecclesiasticas.

Rev.mus primus Consultor consentit cum Rev.mo quarto Consultore.

Rev.mus quintus Consultor dicit Episcopos imponere posse tributa omnibus personis moralibus, ipsis iuridice subiectis.

Rev.mi septimus et primus Consultores notant ab illis personis moralibus excludendos esse religiosos.

Rev.mi tertius et secundus Consultores censem quod imprimis ponendum sit principium generale de potestate Episcoporum imponendi tributa et deinde loquendum de modis quibus ipsa imponi possint.

Datur mandatum Rev.mo tertio Consultori ut redigat schema canonis 1502, quod in proxima adunatione IV examinandum erit.

#### Adunatio IV<sup>a</sup>

die 7 iunii 1967 – mane habita

Rev.mus tertius Consultor praebet Consultoribus propositionem can. 1502, ab ipso exarata:

*Can. 1502*

«§ 1. Ius Episcopis est tributa imponendi quatenus necessaria sint ad annonam pro Ecclesiae sumptibus obtinendam; praesertim pro Seminario, pro aedibus extruendis vel reficiendis, pro cleri praevidentia et assistentia, pro scholis catholicis, pro necessitatibus dioecesium pauperiorum.

§ 2. Personis physicis tributa ne imponatur nisi de consensu Consilii presbyteralis et Consilii pastoralis; sed potius fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentia Episcoporum probatas.

§ 3. Conferentia Episcoporum, pro suo quaeque territorio, decernere debet quibusnam personis moralibus, Episcopo dioecesano subiectis, tributa sint imponenda, itemque normas statuere ad ordinationem tributorum regendam».

Etiam Rev.mus primus Consultor habet suam propositionem can. 1502 quam praebet Consultoribus his verbis:

«§ 1. Ordinarii loci ius est a personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus, ad normam iuris sibi subiectis, exigendi tributa pro bono dioecesis utputa (veluti) pro Seminario, pro aedificiis sacris noviter extruendis

aut reficiendis, pro scholis catholicis ceterisque sacri apostolatus vel caritatis operibus provehendis ac prosequendis.

§ 2. Item Ordinarius loci potest, speciali impellente necessitate propriae vel alicuius pauperioris dioecesis, personis moralibus aliisque institutis ecclesiasticis, etiam religiosorum, ut sibi subiectis, extraordinarium subsidium imponere.

§ 3. Pro huiusmodi tributis vel subsidiis moderandis normae sive a singulis Episcopis, auditis Collegio presbyterorum seu Consilio pastorali, pro sua cuiusque dioecesi, sive a Conferentiis episcopalibus, pro eodem territorio, statuere ».

Incipit examen textus Rev.mi tertii Consultoris.

Ipse Rev.mus tertius Consultor dicit se, in sua propositione, haec tria prae oculis habuisse:

- a. ius Episcopi imponendi tributa;
- b. tributa non possunt imponi personis physicis;
- c. quibus et qua ratione possit imponi tributa.

Notandum praeterea quod in § 2 dicitur *de consensu* Consilii pastoralis et presbyteralis, dum in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* illa Consilia vocem tantum *consultivam* habent.

Deinde incipit discussio quoad § 1<sup>am</sup>:

Rev.mus quartus Consultor nimis amplam censem phrasim «ad annam pro Ecclesiae sumptibus obtainendam».

Rev.mi octavus et septimus Consultores volunt «ius est Ordinariis» loco «Episcopis».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in numeratione tributorum includatur etiam «cathedraticum» ob suam specialem significationem religiosi obsequii.

Rev.mus sextus Consultor: placet affirmatio iuris imponendi tributa; non placet enumeratio tributorum. Proponit hanc formulam:

«Ius est Episcopis tributa imponendi pro necessitatibus extraordinariis vel etiam ordinariis, quibus alio modo provideri non potest».

Rev.mus secundus Consultor idem censem ac Rev.mus sextus Consultor et hanc formulam proponit: «Ius est Episcopis tributa imponendi quatenus necessaria sint pro bono dioecesis».

Rev.mus primus Consultor legit § 1 suaे propositionis ubi affirmatur:

- a. ius imponendi tributa;
- b. quibus imponi possint, et
- c. quaenam sint tributa praecipua.

Habetur aliqua discussio et suffragatio circa propositiones Consultorum:

- debet includi cathedralicu?: placet n.1; non placet 7.
- «ius est Ordinarii...» loco «Episcopis»: placet 8.
- propositio Rev.mi sexti Consultoris: placet 4; non placet 4.
- propositio Rev.mi secundi Consultoris: placet 6; non placet 2.

Discussio primae partis § 2 propositionis Rev.mi tertii Consultoris praebet adhuc elementa ad melius redigendam § 1<sup>am</sup>.

Quaeritur enim inter Consultores utrum tributa personis physicis imponi possint necne, et habetur suffragatio. Omnes Consultores, praeter unum, dicunt tributa imponenda esse etiam personis physicis.

Deinde quaeritur utrum imponi possint etiam personis physicis laicis an tantum ecclesiasticis:

- tantum ecclesiasticis: placet 6;
- etiam personis physicis laicalibus: placet 2.

Rev.mus quintus Consultor Rev.mum primum Consultorem sequens, proponit ut dicatur in prima § *quibus* tributa imponi possint, dicendo hoc modo:

«Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi *personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus* quatenus necessaria sint in bonum dioecesis».

§ 1 ita redacta omnibus placet; tres Consultores tamen vellent omittere verbum «ecclesiasticis».

Deinde quaestio ponitur utrum quaerendum sit necne votum Consilii si- ve presbyteralis sive pastoralis. Maior pars Consultorum stat pro uno tanto Consilio, pro Consilio nempe presbyterali.

Quaeritur adhuc utrum debeat dici «de consensu» an «audito Consilio presbyterali». Omnes volunt «audito Consilio presbyterali».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut etiam haec inserantur in § 1°. Omnes Consultores consentiunt.

Textus § 1 ergo est iste:

«Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi auditio Consilio presbyterali».

*De § 2*

Prima pars § 2 propositionis Rev.mi tertii Consultoris translata est in § 1<sup>am</sup>. Manet altera pars, quae agit de subsidiis fidelium.

Ipse Rev.mus tertius Consultor proponit ut pars de subsidiis fidelium ponatur tamquam § 3; § 3 autem sua propositionis ponatur tamquam § 2 huius canonis 1502.

Omnis consentiunt.

Formula propositionis Rev.mi tertii Consultoris ita dicit:

«Conferentia Episcoporum, pro suo quaeque territorio, decernere debet quibusnam personis moralibus, Episcopo dioecesano subiectis, tributa sint imponenda, itemque normas statuere ad ordinationem tributorum regendam».

Rev.mus primus Consultor proponit aliam formulam:

«Pro eiusmodi tributis moderandis normae a Conferentiis episcopali- bus pro earum territorio statuantur».

Etiam Rev.mus tertius Consultor dat formulam simpliciorem, id est:

«Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio norma statuere debent ad ordinationem tributorum regendam».

Suffragantur istae duae formulae:

Formula Rev.mi primi Consultoris: placet 3; non placet 5.

Formula Rev.mi tertii Consultoris: placet 3; non placet 3; 2 Consultores se abstinent a sententia ferenda.

Rev.mus secundus Consultor dicit se abstinere a suffragio ferendo circa formulam Rev.mi tertii Consultoris, quia vellet dare singulis Episcopis facultatem imponendi tributa.

Rev.mus Relator notat singulos Episcopos habere talem facultatem ex § 1, quam tamen exercere debent secundum normas a Conferentiis episcopali- bus statutas (§ 2).

Fit nova suffragatio circa formulam Rev.mi tertii Consultoris:  
placet 7; non placet 1.

Adunatio V<sup>a</sup>

die 7 iunii 1967 – vespera habita

*De § 3 can. 1502*

Rev.mus tertius Consultor proponit hanc formulam:

«Fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas».

Rev.mus quintus Consultor proponit hanc aliam formulam:

«Fideles suasione magis quam coactione inducuntur ad Ecclesiae subsidia conferenda per obventiones rogatas iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas».

Rev.mus tertius Consultor dicit formulam a Rev.mo quinto Consultore propositam melius cohaerere cum §§ 1 et 2; ex ipsa tamen non constare de *obligatione fidelium* conferendi subsidia. Proponit ut duae formulae componantur hoc modo: «Fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasione magis quam coactione fideles inducant ad hanc obligationem implendam».

Fit suffragatio huius ultimae formulae:

placet 5; non placet 3.

His dictis circa conclusiones Consultorum Sessionis mensis ianuarii 1967 et canonibus ita noviter redactis, aliqui Consultores proponunt ut aliquid dicatur de prohibitione de qua in can. 1503 C.I.C. (Rev.mi septimus et quintus Consultores) et de praefinitione taxarum pro variis actibus iurisdictionis, pro executione rescriptorum S. Sedis vel occasione administrationis sacramentorum (Rev.mus primus Consultor).

*Can. 1503*

Rev.mus septimus Consultor proponit ut integer servetur can. 1503 prout est in C.I.C.

Rev.mus quintus Consultor dicit se in suo voto novam propositionem de stipe quaeritanda redegisse, attentis praescriptis M. P. *Ecclesiae Sanctae* (I, nn. 27, 37).

Legitur formula a Rev.mo quinto Consultore proposita, quae ita dicit:

«§ 1. Salvo iure religiosorum, vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2. Conferentiae episcopalis est, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus servari debent, salvo mendicandi iure Religionum, quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt.

§ 3. In omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam religiosis, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroocialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad episcopalem Curiam postea sedulo mittenda».

*Quoad § 1* Consultores aliqui petunt ut deleantur verba «Sedis Apostolicae».

Habetur suffragatio de hac propositione: placetne delere verba «Sedis Apostolicae»?:

placet 6; non placet n. 2.

*Quoad § 2:* Omnes Consultores praeferunt textum M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 27, § 1, id est: «Conferentia Episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earumdem mendicandi iure».

*Quoad § 3* item Consultores praeferunt textum *excerptum* ex M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 37, id est: «In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, etiam ad religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroocialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda».

*Can. 1504*

Rev.mus primus Consultor proponit hanc formulam:

«Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel

occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est Conferentiae episcopalnis, ita ut in eodem territorio eadem regula taxarum pro omnibus habeatur ».

Rev.mus quartus Consultor dicit uniformitatem taxarum in ambitu totius territorii Conferentiae episcopalnis saepe impossibilem evadere. Ad occurrentum huic difficultati Rev.mus Relator proponit ut taxae praefiniantur a Conciliis provincialibus aut a conventibus Episcoporum provinciae et a Conferentiis Episcoporum approbentur.

Sed Rev.mus secundus Consultor absonum videtur quod deliberata aliqui coetus Episcoporum Conferentiae Episcoporum submittantur.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut taxae praefiniantur « a conventu Episcoporum provinciae aut, eo deficiente, a Conferentia episcopali ».

Circa taxas pro executione rescriptorum Sanctae Sedis, Rev.mi quartus et secundus Consultores notant illas competere Sanctae Sedi (can. 1056); dum Rev.mus sextus Consultor, e contra, invocat can. 1507 C.I.C., ubi illae taxae committuntur Concilio provinciali aut conventui Episcoporum provinciae, eo vel magis quod, ut notat Rev.mus Relator, taxae pro executione rescriptorum non praeiudicant impositionem taxarum super ipsa rescripta ex parte S. Sedis.

Post has animadversiones, can. 1504 ita redigitur:

« Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus Episcoporum provinciae ».

Rev.mus septimus Consultor proponit ut conficiatur canon qua prohibeantur tributa super eleemosynis Missarum (cf. can. 1506 CIC).

Alii Consultores de re concordant omnes, sed censem alibi, id est in aptiore loco, illam normam collocandam esse.

Denique Rev.mi quartus et octavus Consultores seriem canonum, ratione materiae, hoc ordine numerare proponunt: Canon 1498 accipiat nr. 1497, can. 1499-1498, can. 1500-1499 et can. 1497-1500.

Omnes Consultores consentiunt.

**Adunatio VI<sup>a</sup>****die 8 iunii 1967 – mane habita****DE PIIS FUNDATIONIBUS***Can. 1513, § 1*

Maior pars Consultorum proponit ut maneat prout est.

Rev.mus quintus Consultor in suo voto (pag. 5) propositionem habet ad solvendam controversiam de sensu verborum «ad causas pias», praebendo criterium obiectivum per verba: «... ad causas pias seu ad instituta vel opera religionis vel caritatis christianaæ».

Sed alii Consultores nolunt quaestionem dirimere et § 1 manet prout est.

*Can. 1513, § 2: quoad primam partem huius paragraphi*

Habetur discussio circa verba «in bonum Ecclesiae», quia Rev.mus quintus Consultor dicit illa esse nimis ampla et determinatione indigere.

Variae proponuntur solutiones:

Rev.mus quintus Consultor: dicatur «in bonum piae causae» vel «personae moralis ecclesiasticae».

Rev.mus quartus Consultor: dicatur «in bonum Ecclesiae vel causae piae».

Rev.mus primus Consultor: in prima § dicatur «... potest in bonum Ecclesiae seu personae moralis ecclesiasticae aut causae piae, sive per actum etc.».

In secunda § dicatur tantum: «In ultimis voluntatibus serventur si fieri potest, etc.».

Rev.mus tertius Consultor: dicatur «In dispositionibus mortis causae ad causas pias, serventur, etc.».

Maior pars Consultorum (placet 6; non placet 2) praefert propositionem Rev.mi tertii Consultoris.

*Can. 1513, § 2: quoad secundam partem huius paragraphi*

Attenta responsione Pont. Comm. Interpr. diei 17 febr. 1930 [AAS 22 (1930), 196], maior pars Consultorum (placet 7; non placet 1) vult verba «moneri debent» loco «moneantur». Cetera verba ita proponuntur corrigenda ab Rev.mo quinto Consultore: «... (moneri debent) se testatoris vo-

luntatem genuinam ac certam adimpleri nihilominus in conscientia teneri». Hoc modo diceretur clare obligationem moralem adimplendi voluntatem testatoris praesupponere certitudinem circa eius tenorem.

Aptiora tamen ad eundem finem videntur verba proposita a Rev.mo primo Consultore: «... (moneri debent) de gravi obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem».

Maior pars Consultorum non vult verbum «gravi».

Textus § 2 ergo ita proponitur a Consultoribus:

«In dispositionibus mortis causa ad causas pias serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem».

Pro illis regionibus ubi fideles a legibus civilibus vetantur ut relinquant bona per actum mortis causae ad pias causas, Rev.mus octavus Consultor proponit ut conficiatur nova paragraphus quae suadeat fideles ad illa bona relinquenda per actum inter vivos.

Alii Consultores dicunt hoc pertinere ad legislatores particulares illarum regionum.

#### *Can. 1514*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut ita recognoscatur:

«Voluntates fidelium ... sive per actum mortis causa, *dummodo legitime acceptatae sint, diligentissime et quidem ex iustitia commutativa adimpliri debent*, etiam circa modum administrationis etc. ...».

Consultores tantum primam propositam correctionem considerant, quia altera non placet.

Habetur ergo aliqua discussio circa illud «dummodo legitime acceptatae sint».

Rev.mus Relator: si habetur incertitudo personae testatae, quis debet acceptare?

Rev.mus sextus Consultor: acceptatio non requiritur in actis mortis causa.

Rev.mus quintus Consultor instituit dicendo acceptationem omnino requiri quia voluntates piae implendae sunt *diligentissime et quidem etiam circa modum administrationis*.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «legitime acceptatas» loco «dummodo sint legitime acceptatae».

Suffragatur propositio Rev.mi tertii Consultoris:

Placet 5; non placet n. 3.

Praeterea Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « fideliter » loco « diligentissime ». Sed propositio non placet.

Tandem Rev.mus tertius Consultor proponit ut addatur altera § in qua monentur fideles ut facultates impendant in fundationes et donationes quae bono communi Ecclesiae conferant, potius quam ad pias causas quae inclinationi pietatisque ipsorum respondent. Propositio tamen Consultoribus non placet.

### Adunatio VII<sup>a</sup>

die 8 iunii 1967 – vespera habita

#### *Can. 1515, § 1*

Rev.mus quintus Consultor dicit § 1 aboleri posse quia sufficit tribuire Ordinariis ius et officium invigilandi ut executores munus suum debito modo ac tempore adimpleant, posteaque rationem illis reddant.

Rev.mus Relator putat propositionem Rev.mi quinti Consultoris fundamentum habere in systemate iuridico anglico, ubi semper executor testamentarius haberi debet. Cum alibi non vigeat haec norma, necessarium est tenere § 1 canonis 1515.

Omnes alii Consultores dicunt § 1 servandam esse.

#### *Can. 1515, § 2*

Discussio habetur de verbo « delegati » quod aliquam difficultatem facit.

Rev.mus sextus Consultor censet verbum « delegatus » hic non accipiendum esse sensu technico; nam sensus est « executores ad hoc deputati ». Si placet posset dici «... et alii executores deputati debent, etc...».

Rev.mi quartus et secundus Consultores proponunt ut verbum « delegati » aboleatur.

Alii Consultores assensum praebent huic alterae propositioni.

#### *Can. 1515, § 3*

Manet prout est. Ita omnes Consultores.

#### *Can. 1516, § 1*

Rev.mus quintus Consultor necessarium duxit statuere limitem pecuniarium ultra quem exurgat obligatio certiorem reddendi Ordinarium de fiducia accepta.

Alii Consultores censem hic agi de quaestione disciplinari, praescindendo a valore fiduciae. § 1 ergo manet prout est.

*Can. 1516, § 2*

Manet prout est.

*Can. 1516, § 3*

Rev.mus Relator proponit ut servetur prout est et in fine hoc modo dicatur: «secus est Superior maior eiusdem Religionis».

Sed Rev.mi sextus et septimus Consultores nolunt hanc facultatem trahere Superiorissimis et Superioribus religionum laicalium.

Rev.mus Relator ergo aliam formulam proponit, id est: «secus est Superior maior in religione clericali, Ordinarius eiusdem religiosi proprius in religione laicali».

Omnes consentiunt.

*Can. 1517*

In recognitione huius canonis pree oculis habendae sunt facultates Ordinariis concessae per M. P. *Pastorale Munus*.

Consultores disputant de ambitu facultatum Episcoporum in materia reductionis onerum piorum et de normis quibus Episcopi adstringendi sunt in usu harum facultatum.

Rev.mus Relator schema canonis parabit pro adunatione sequentis diei.

### **Adunatio VIII<sup>a</sup>**

**die 9 iunii 1967 – mane habita**

Rev.mus Relator Consultoribus praebet schema can. 1517:

«§ 1. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio vel commutatio, cui testator ante mortem nec consenserit nec providerit, ab Ordinario fieri potest, nisi de reductione missarum agatur, ex iusta tantum causa, auditis iis quorum interest, dummodo pius finis a testatore intentus meliore qua fieri potest modo attingatur. In dubio circa finem aut modum eum attingendi, iudicium eidem Episcopo reservatur.

§ 2. Ordinarii reducere possunt, ob deminutionem redditum... (n. 11 M. P. *Pastorale Munus*).

§ 3. Ordinarii reducere quoque possunt onera ... (n. 12 M. P. *Pastorale Munus*)».

Omnis Consultores mentem suam dicunt circa hanc formulam; deinde habetur discussio in qua haec puncta exprimuntur:

- reductio missarum reservetur S. Sedi;
- si fundator expresse concesserit potestas reducendi missas concedatur etiam Ordinario;
- reductio missarum fundatarum, certis conditionibus, concedatur etiam Ordinariis;
- habeantur duo canones distincti: unus quaestionem missarum tractet, alter vero reductionem, moderationem et commutationem ultimarum voluntatum.

Rev.mus Relator schemata canonum parabit pro adunatione sequenti.

#### Adunatio IX<sup>a</sup>

die 10 iunii 1967 – mane habita

Rev.mus Relator praebet Consultoribus schemata cann. 1517 et 1517 bis.

#### *Schema can. 1517*

«§ 1. Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae, quae ex thesauro Ecclesiae Romano Pontifici concredito, defectum reliquarum Missarum supplet.

§ 2. Si in tabulis fundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos reditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis equiparatis, competit iure facultas reducendi ob deminutionem redditum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si reditus beneficii aut in-

stituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

§ 5. Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi, praeterquam Coadiutori, Auxiliaribus et Vicario Generali atque Vicarii ac Praefecti Apostolici, suo quisque Vicario Delegato, legitime delegare valent».

Habetur discussio circa hanc novam propositam formulam.

#### § 1

Aliqui Consultores censem verba « reliquarum missarum » esse aequivo-  
ca et Rev.mus primus Consultor proponit ut § 1 his verbis tantum constet:  
« Reductio onerum missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae ».

Propositio haec omnibus placet.

#### § 2

Rev.mus quintus Consultor proponit ut initio dicatur: « Si vero in ta-  
bulis....».

Omnes consentiunt.

Ipse Rev.mus quintus Consultor vellet tollere verba « ob imminutos re-  
ditus », sed maior pars Consultorum non consentit.

#### § 3

Rev.mus primus Consultor diceret « Ordinariis locorum » loco « Episcopis  
dioecesanis ». Sed alii Consultores nolunt hanc mutationem introducere.

#### § 4

Rev.mi tertius et sextus Consultores vellent omittere in hac paragrapho  
mentionem *beneficii*, de qua adhuc definiendum est utrum abolendum sit  
necne. Melius esset, aiunt, generice loqui de « institutis ecclesiasticis ».

Alii Consultores tamen non consentiunt.

#### § 5

Rev.mus Relator proponit ut dicatur «... *Vicariis Episcopalibus* et Vica-  
rio Generali ...».

Omnis consentiunt.

Ad formam quod attinet Rev.mus tertius Consultor proponit has mutationes quae ab omnibus approbantur:

«Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato».

*Schema can. 1517 bis*

«§ 1. Firmis praescriptis canonis praecedentis, ultimarum voluntatum in piis causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario loci expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest (Consultoribusque dioecesanis), atque servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequae imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur».

Consultores has correctiones proponunt:

§ 1: Omnes Consultores volunt ut dicatur «Ordinario» simpliciter, non «Ordinario loci».

§ 2: Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur: «... auditis iis quorum interest et proprio consilio administrationis ...».

Omnis consentiunt.

Circa autem incisum «*nulla administratorum culpa*», Rev.mus tertius Consultor hoc argumentum evolvit: vel concedatur Ordinario potestas reducendi onera, etiam quando culpa administratorum adsit, et tunc incisus ille tollendus est; vel potestas illa negatur Ordinariis et tunc conficienda est § 3 in qua dicatur casus illos, in quibus nempe administratorum culpa adsit, reservatos esse S. Sedi.

Argumentum Rev.mi tertii Consultoris placet et Rev.mus Relator § 3 proponit his verbis:

«In ceteris casibus recurrentum est ad Sedem Apostolicam».

Fit suffragatio circa § 3:

Placet 4; non placet 3.

APPENDIX

TEXTUS CANONUM

*Can. 1495*

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios prosequendos.

*Can. 1496*

Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris sunt<sup>3</sup> dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erectae sint.

*Can. 1497*

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsis Ecclesiae ordinatione statuuntur; praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

*Can. 1498*

Bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales pertinent, sunt bona ecclesiastica.

*Can. 1499*

Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

*Can. 1500*

Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

<sup>3</sup> In Sessione 20-24 nov. 1967 habita, deliberatum est ut in can. 1496, praeter dioeceses et paroecias, etiam «Conferentiae episcopales» nominentur.

*Can. 1501*

§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1497 Ecclesia assequi possit.

§ 2. Specialiter meminerint fideles se teneri obligatione pro posse procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt.

§ 3. Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere current.

*Can. 1502*

§ 1. Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus, quatenus necessaria sint in bonum diocesis. Tributa ne imponantur nisi auditio Consilio presbyterali.

§ 2. Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.

§ 3. Fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasione magis quam coactione fideles inducant ad hanc obligationem implendam.

*Can. 1503*

§ 1. Salvo iure religiosorum, vetantur privati tam clerici quam laici sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2. Conferentia Episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earundem mendicandi iure.

§ 3. In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, etiam ad religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

*Can. 1504*

Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus Episcoporum provinciae.

## DE PIIS FUNDATIONIBUS

*Can. 1513*

§ 1. Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In dispositionibus mortis causa ad causas pias serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem.

*Can. 1514*

Voluntates fidelium facultates suas in piis causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 1515, § 3.

*Can. 1515*

§ 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos executores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii executores debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tamquam non appositae habeantur.

*Can. 1516*

§ 1. Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordinarii certiore reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adjunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro executione piae voluntatis ad normam can. 1515.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut pii causis iuvandis, Ordinarius de qua in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus est Superior Maior in religione clericali, Ordinarius, eiusdem religiosi proprius in religione laicali.

*Can. 1517*

§ 1. Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae.

§ 2. Si vero in tabulis fundationum id espresse caveatur, Ordinarius ob imminutos reditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis aequiparatis, competit iure facultas reducendi ob deminutionem redditum, quamdui causa perduraret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si reditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

§ 5. Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato.<sup>4</sup>

*Can. 1517 bis*

§ 1. Firmis praescriptis canonis praecedentis, ultimarum voluntatum in piis causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario espresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio consilio administrationis atque servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequre imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur.

§ 3. In ceteris casibus recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

<sup>4</sup> In Sessione, diebus 20-24 nov. 1967 habita, deliberatum est ut ista § 5 fiat § 6 et in § 5 haec norma habeatur: « Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremi Moderatores religionum clericalium ».